



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtvte
Et Statv Religionis**

Qvo Quid Contineatvr, Index proximus indicabit

De Obligationibvs, Qvæ Religiosvm Constitvnt, vel ad illum disponunt

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1625

Cap. I. Vtrùm paupertas sit necessaria ad salutem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93480](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93480)

LIBER OCTAVVS.

DE PAUPERTATE.

QUAE haecenus de professione absolute, & quasi generatim diximus, magna ex parte respiciunt traditionem, quae in illa sit, & vota solùm quatenus ita illi sunt annexa, vt in aliquibus conditionibus, proprietatibus, vel effectibus cum illa conueniant. Superest ergo, vt de singulis votis ad professionem necessariis in particulari dicamus, nam hoc maxime necessarium est ad distinctam notitiam huius status. Supponimus autem, vota tria esse necessaria, & sufficere ad hunc statum, supra ostensum est. Quod si aliqua religio aliquid aliud habeat, id speciale est, & non pertinet ad considerationem status religiosi vt sic.

De his ergo tribus votis, ac materia illorum triplici libro sequenti dicemus, non solum quatenus sunt solemnia; sed etiam in tota sua latitudine prout comprehendunt simplicia. Nam cum in eisdem materiis, de quibus sunt vota solemnia, fieri etiam possint, ac soleant vota simplicia, tum intra statum religiosum, vt patet in religiosis non professis Societatis Iesu, tum etiam extra illum, vt in saecularibus castitatem vouentibus, & sic in aliis, operæ pretium visum est in vnoquoque libro ex sequentibus agere de his votis in vnaquaque materia in tota sua latitudine incipiendo prius à simplicibus ad solemnia, vt potest, iam minus perfecto ad perfectius, sic enim tractationem de votis simplicibus in particulari non omitimus, & faciliorem paramus viam ad solemnia explananda, ac tandem totius status, ac virtutis religionis perfectam, & completam notitiam, Deo dante, consequemur. Inter praedicta verò vota in finimum locum tenet paupertas, quia circa materiam minus perfectam versatur, & ideo ab illa est incipiendum.

CAPVT I.

Vitam paupertatis suo necessaria ad salutem.

Heretici dicti Apostolici dixerunt paupertatem Apostolicam esse ad salutem necessariam, quod etiam senserunt Pelagiani dicentes non posse homines saluari, nisi renuntient omnibus, quae possident, vt sumitur ex Augustino epistola 89. & 106. Nazian. etiam oratione prima in Iulianum refert statuisse ne Christianis daretur actio ad se defendendum etiam si rebus omnibus spoliarentur, cum in Euangelio eis praecipitur sit, vt nihil possideant. Heretici etiam dicti Fratricelli dixerunt, non licere habere aliquid proprium, vt sumitur ex Extrauag. 22. *Sancita Romana*, vbi eos dñat, & antea Bonifac. VIII. iam dñauerat. Nihilominus dicendum est, paupertatem actua-lem non esse ad salutem necessariam, neque hominibus praecipiam. Quod est de fide certum, & sufficienter conuincitur ex ipso vsu, & statu Ecclesiae. Nam paupertas ita esset necessaria ad salutem, erraret vniuersa Ecclesia, & maior pars fidelium eius, etiam damnationis, quod repugnat eius sanctitati, & veritati. Conuincitur tamen potest haec veritas, partim ratione, partim ex ipso Euangelio. Aut enim loquimur ex

natura rei, aut ex aliquo Christi praecipio, neutro autem modo inuenitur diuitiarum possessio ita prohibita, vt paupertas sit ad salutem necessaria. Minor quoad priorem partem de naturali iure latius probatur in materia de iustitia tractando de rerum dominio, & est per se euidens; quia diuisio rerum, & dominiorum proprietates contra nullum praecipium naturale est. Nam quamuis Deus ipse dominia rerum non diuiserit, sed absolute potestati, & vsui hominum haec inferiora bona concesserit, iuxta illud Genes. 1. *Dominamini piscibus maris*, &c. tamen neque vt ipse auctor naturae praecipit, vt res semper manerent sub libero, & communi vsu hominum, neque naturalis ratio per se sola dicitur esse malum, aut prohibitorium hanc diuisionem facere, & vnumquemque proprium aliquid possidere. Quin potius generatim ac regulariter loquendo in statu naturae lapsae, & conueniens, & moraliter necessarium fuit, quia alioqui vix possent applicari homines vel ad excolendos agros, vel ad alia negotia, & munia sustentationi hominum necessaria. Secundò, quia septimum praecipium Decalogi de non furando naturale est, & ad honestatem morum necessarium: ergo id, quod intrinsecè ad illud supponitur, non potest esse contra naturalem legem; supponit autem rerum dominium, & proprietatem; nam in definitione furti ponitur, quòd sit acceptio rei alienae inuito domino. Tertio id est manifestum ex discursu totius veteris testamenti: nam à principio humani generis ab ipsis filiis Adæ coeperunt homines habere proprias possessiones, & diuitias maxime rerum mobilium, ac se mouentium, & sanctissimi viri diuites satis fuisse leguntur, tam in lege naturae, vt Iob, Abraham, &c. quam in lege scripta, quo tempore Deus abstulit à barbaris gentibus terram promissionis, & suo populo tradidit, eamque deinde missis sortibus inter Tribus diuisit, posteaque regnum Sauli tradidit, quod postea in Dauid transtulit, cuius filius Salomon diuitissimus fuit. In hoc ergo, per se loquendo, & ex sola natura rei, nulla est malitia. Et ratio denique est manifesta, quia in hoc nulla est iniustitia, cum nullus possit assignari, cui fiat iniuria; seclusa autem iniustitia, nulla alia ratio malitiae in tali actu, vel obiecto excogitari potest.

Venio ad aliam partem, in qua magis videntur heretici errasse, quia in Euangelio interdum videntur Christus Dominus paupertatem, vt omnino necessariam ad salutem postulare. Matth. 19. dixit, *Vacillius est camelus per foramen acus transire, quam diuitem inire in regnum caelorum*. Et Lucae 14. *Qui non renuntiat omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus*. Verumtamen ex his eisdem locis manifestum est, Christum non praecipisse actuaalem paupertatem, & renuntiationem bonorum omnium, vt necessariam ad salutem, sed solum inuitasse ad illam, eamque consuluisse, vt valde vtilem ad perfectionem, & facilitatem quandam in consequenda salute. Hoc plane constat ex discursu posterioris testimonii; cum enim quidam adolescens ad Christum accessisset, interrogans, *Quid boni faciam vt habeam vitam aeternam?* Christus solum respondit, *Si pu ad vitam ingredi seruis manda-*

mandata. Ille autem iterum interrogavit: quæ? Christus autem præcepta decalogi proposuit, nulla diuitiarum, aut paupertatis mentione facta. Ad quem iterum adolescens, *Omnia hæc custodius à iuventute mea, quid adhuc mihi deest?* Ait illi Iesus, *Si vis perfectus esse, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in celo, & veni, & sequere me.* Vbi primum expendo Christum hoc proposuisse extra præcepta, id quæ addidisse vltra ea, quæ sunt simpliciter necessaria ad consequendam salutem; cum enim interrogationi factæ, plenè respondisse credendus sit, ea sine dubio, quæ simpliciter necessaria sunt, proposuerat, nam sub illis præceptis reliqua virtute continentur: ergo quod postea addit extra præcepta est. Deinde expendo illas duas conditionales. *Si vis ad vitam ingredi, & si vis perfectus esse.* In quibus clare ostendit Christus ad ingressum vitæ non esse necessarium vendere omnia, &c. sed ad perfectionem obtinendam. Declaravit etiam illa duo, scilicet, ingredi ad vitam, & perfectum esse, inter se distincta esse, & diuersis medijs comparari, & primum sine posteriori contingere. Vnde constat ineptam fuisse Pelagianorum expositionem apud Augustinum epist. 89. q. 4. *Si vis perfectus esse, id est, si vis, vt nihil tibi detur ad salutem, nam ipsemet adolescens interrogavit, Quid adhuc mihi deest.* Et Christus, vt Marcus expressit cap. 10. *Vnum tibi deest.* Sed planè intelligit deesse ad perfectionem, non ad salutem, aliàs & immeritò distinxisset inter vitam, & perfectionem, & falsò dixisset, *Si vis ad vitam ingredi, seruamanda;* intelligendo de illis mandatis, quæ numerauerat, seclusa renuntiatione, quam postea addidit. Atque hoc modo intellexerunt hunc locum Chrysostr. & omnes Græci ibi Anselm. D. Thom. & alij Marci 10. & alij Patres sequenti assertionem citandi. Et videtur res adeò clara ex ipso contextu, vt vix possit ad aliam sensum detorqueri.

Et eundem sensum habere potest, quod Christus dixit Lucæ 14. *Qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Discipulus enim Christi (quod ad varia loca Euangelij intelligenda notandum est) dupliciter dicitur. Primum, omnis ille, qui fidem Christi sequitur, & præsertim si eam habeat vitam, & in illa perseveret, quomodo dicebat Christus Ioan. 8. *Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis;* illa enim verba de omnibus credentibus dixit. De qua acceptione legi potest August. lib. 2. de consens. Euangelist. cap. 1. circa finem. Alio modo specialiter dicitur discipulus Christi, qui in perfectione vitæ, & renuntiatione seculi illum imitatur: sic specialiter vocantur discipuli illi 72. quos Christus designauit Luc. 10. qui discipulorum nomine specialiter significantur. Matth. 9. ibi; *Tunc dixit discipulis, Messis quidem multa, operarij autem pauci.* Nam Lucas postquam dixerat, *d. signauit Dominus, & alios septuaginta duos,* subdit, *Et d. cœbat illi, Messis quidem multa, &c.* Et vtroque modo sumitur frequenter illa vox tam in Euangelio, quam in actis Apostolorum. Si ergo in prædictis verbis Lucæ, discipulum hoc posteriori modo accipiamus, eum planè intelligemus, qui vult perfectus esse, & ideo illi merito dici potest, non posse consequi quod intendit, nisi renuntiet omnibus, quæ possidet. Nam in illa conditionali posita à Christo, *Si vis perfectus esse, &c.* includitur hæc necessitas talis medijs ad talem finem, & consequenter impossibilitas consequendi illum gradum, seu statum perfectionis: at verò esse illo modo discipulum Christi, non est simpliciter necessarium ad salutem, vt declaratum est, & ideo inde etiam non probatur renuntiationem omnium rerum esse necessariam, vel in præcepto. Aliam verò sensum, & fortasse magis proprium habere potest hic locus, vt statim dicam.

Discipulus
Christi
duob. modis
quæ dicitur.

Quod ergo in priori loco Matth. Christus Dominus addidit de comparatione Cameli, dupliciter exponi potest. Primum vt iuxta subiectam materiam, & consequenter ad ea, quæ proxime dicta erant, ibi non sit sermo de quocunque ingressu in regnum celorum, sed per antonomasiam de ingressu per quandam excellentiam, & perfectionem, seu (quod idem est) de tali ingressu, quod sine vilo impedimento, ac detentione, statim pateat. Postquam enim Christus responderat, *Si vis perfectus esse, &c.* refert Euangelista adolescentem ab ille tristem, tunc autem subdit Christus, *Amen dico vobis, quia diues difficile intrabit in regnum celorum:* ergo loquitur de introitu cum perfectione seu ad perfectionem; nam illi adolescenti diuiti non fuerat difficile seruare mandata, nedum impossibile, cum à iuuentute sua illa seruasset, non obstantibus diuitiis. Nec enim dubitari potest, quin verum dixerit, vt rectè Chrysostr. notauit. Nam Marcus cap. 10. ait Christum statim eum intutum esse, & dilexisse eum; quod benevolentia signum, veritatem ipsum dixisse satis declarat: ergo quod reliquum erat, ei fuit difficile, scilicet tendere ad perfectionem, quam difficultatem ex diuitiis ortam fuisse declarauit Matthæus, cum dixit, *Erat enim habens multas possessiones, & properare abiit tristis.* De hoc ergo introitu, deque difficultate ad illum, loqui videtur Christus. Hæc verò adeò exaggerat Christus exemplo Cameli, vt impossibilitatem esse significauerit, vt unque verò cum proportione accommodatum, verum est: diuiti enim difficile est regnum celorum cum perfectione quaerere, quia propter amorem diuitiarum, difficile illi est omnibus renuntiare: ciuitatem, nisi hanc difficultatem superet, impossibile est retinendo diuitias, perfectionem proficere, sicut Camelo impossibile est per foramen acus introire. Quæ expositio veram doctrinam continet, ac pia est; quantum tamen ramentum violenta quoad proprietatem verbi, intrandi in regnum celorum.

Aliter ergo exponitur ille locus, vt per eam comparationem magna quædam difficultas, & humana impossibilitas significetur, non verò talis, quæ præcepto relinquendi diuitias, sed ex impedimentis, & periculis, quæ secum afferunt, oriatur, neque etiam talis, quæ nullo modo superari possit, quæ non solis viribus humanis, sed diuina gratia vinci possit. Hunc sensum indicant ipsa Christi verba: nam ipse solum dixit, *Diues difficile intrabit in regnum celorum,* quod ex eo intulit, quod adolescens ille propter amorem diuitiarum, tristis abiit, inde occasionem sumens ad prædicandam difficultatem, quam diuitiæ secum afferunt ad consequendam salutem. Deinde quamuis hyperbolico exemplo difficultatem exaggeret, non oportet rem esse æque impossibilem. loquitur enim Christus Dominus communi, & vltimo modo, quo solent homines per aliquam huiusmodi hyperbolem, magnam alicuius rei difficultatem declarare. Tandem cum discipuli admirarentur, Christus admirationem abstulit, dicens, *apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibile sunt;* non est ergo malum, nec turpe esse diuitem in sensu composito, vt aiunt. Est ergo solum difficile propter impedimenta, quæ diuitiæ secum afferunt, quæ licet humanis viribus vinci non possint, cum diuina gratia possint, & ideo apud Deum possibile hoc dicitur, vt notauit Gregor. Nazianz. orat. 36. & August. dicta epist. 94. q. 4. *Diuitibus huius sæculi præcipi non sublimè sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis hodie abundè ad fruendum, bene agere, diuites fieri in bonis operibus, fac. le tribuere, communi carere, in se securi: are sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam.* Supponit ergo Paulus, posse diui-

diuites etiam si diuites maneant, veram vitam apprehendere, dummodo in diuitiis non nimium contendant, & eis recte vtantur, quos in Deum diuites appellat Christus Luc. 12.

Et iuxta hoc exponi etiam potest locus alius, Luc. 14. admittendo in illo esse sermonem de necessitate medi, seu precepti ad salutem, atque adeo de quocumque vero Christi discipulo, qui saluari vult. Est autem aduertendum, necessitatem ibi insinuatam pertinere ad preceptum affirmatiuum, renuntiandi omnibus, quæ possidentur, in quo seruanda est regula affirmatiuorum preceptorum, quia non propter obligant, sed pro articulo necessitatis. Ita ergo non est necessarium ad salutem semper, aut pro aliquo certo tempore speciali lege definito, omnibus renuntiare, sed tunc solum, quando vel ad fidei defensionem, vel occurrentem aliquam obligationem charitatis fuerit necessarium. Et quia hæc occasio rara esse solet, ideo hæc necessitas, quatenus sub preceptum cadit, dicitur non esse de renuntiatione actuali, sed inanimi preparatione. Quomodo exposuit dictum locum D. August. epistola 5. & dicta epistola 89. q. 4. quem sequitur Beda in Lucam, qui ad hoc explicandum distinguit inter illa verba, relinquere omnia, & renuntiare omnibus; *Paucorum enim* (inquit) *perfectorum est relinquere omnia, hoc est, curas mundi postponere, cunctorum autem fidelium est renuntiare omnibus, hoc est, sic tenere omnia, quæ in mundo sunt, vt per ea non teneatur in mundo.* Consonatque hæc expositio his, quæ paulo superius Christus dicitur, Luc. 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem, & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Nam licet hæc verba relata ad discipulum posteriori modo supraposito sumptum, id est, perfectiori modo sequentem Christum, possint de actuali renuntiatione verificari; tamen intellecta generatione de discipulis Christi, id est, de omnibus Christianis, necessarium omnino est, vt prædicto modo intelligatur. Idem ergo est de aliis verbis, quæ tractauimus: nam est eadem ratio; imo virtute eadem sunt, nam cum Christus concludit, *Sic ergo omnia ex vobis, qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non solum de diuitiis, & bonis fortune, quæ sunt de materia paupertatis, sed simplicitate de bonis omnibus, quæ supra numerauerat, loquitur, alias non declarasset satis, & concludisset, quod proposuerat, vt recte obseruauit August. epist. 38. ad Lætium, vbi sic ipse concludit. Sic ergo omnia ex vobis, qui non renuntiat omnibus, quæ sunt eius, non potest meus esse discipulus.* Et subiungit, *Prælocutio autem cum extrema conclusionem concludat, in eo enim quod vnusquisque renuntiat omnibus, quæ sunt eius, etiam illud continetur, vt oderit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc & animam suam, omnia enim hæc propria eius sunt, quæ plerumque implicant, & impediunt, &c.*

CAPVT II.

Vitium paupertatem promittere, seu ex voto seruare, sit opus honestum, ac de meliori bono.

Negarunt aliqui heretici, qui ad aliud extremam declinantes, melius esse dixerunt temporalia bona retinere, & ex eis cleemolynas facere, quam omnibus renuntiare; ita errasse Vigilantium refert D. Hieronym. libro contra illum, heretici etiam huius temporis sicut alia consilia, & vota continent, ac reprehendunt, ita etiam paupertatem, & votum eius, nam intentione cultus illam consecratur Deo, dicunt esse superstitiosum, & sacrilegum; alia vero intentione illam allumere voluntarie propter vitandas curas temporalium rerum dicunt esse

Fr. Suarez de statu relig. tom. 3.

vanum, & stultum, quia satis est ferre paupertatem, quam necessitas affert, & quia maiorem anxietatem, & sollicitudinem affert solet rerum necessariorum penuria; ob hanc enim causam sapiens petebat, Prouerb. 30. *Maluit esse pauper, & diuitias, ne dederis mihi, ita ferè refert Bellarm. lib. 2. de Monach. cap. 8. Castro etiam lib. 12. contra hæreses verbo Paupertas hæres. 3. refert quendam Guillelmum de sancto amore docuisse, paupertatem in promptitudine animi, quando necessaria fuerit ad Christi honorem, esse optimam, & à Christo commendatam, paupertatem vero actualement, per quam aliquis omnibus renuntiat, nec consulendam esse, nec laudandam. Quod etiam ex parte sensit Desiderius quidam Longobardus, cuius meminit D. Thom. opuscul. contra impugnantes religionem cap. 6. dicens, voluntariam paupertatem noxiam esse, nisi vel quis eam profiteatur in religione, quæ saltem in communi prouentus habeat, vel talis persona sit, quæ labore manuum victum sibi comparare valeat. Vnde hic hereticus præcipue videtur intendisse mendicitatem damnare. Quem errorem damnauit Alexander IV. in bulla propria, nam eius tempore hic error contra religiones mendicantes resurrexit, contra quem plura infra dicemus. Quoniam vero heretici semper extremis viis incedunt, non defuerunt alii, qui paupertatem ita laudauerint, vt solum illam ad peccata omnia expianda, & salutem consequendam sufficere dicerent. ita sensit quidam Guillelmus Antuerpiensis, vt Castro, & Præteolus in catalogo hereticorum referunt. Sed illi omnes ferè sine fundamento loquuti sunt, & ideo in eorum argumentis referendis, aut soluendis non immerito, obiter vero quod necessarium sit, attingemus.*

Dicendum ergo est, votum simplex paupertatis per se sanctum, & honestum esse, ac de meliori bono; conclusio est certa, & catholica. Vt autem illam distinctè probemus, tria distinguere necesse est. Primum est, obiectum, seu materia huius precepti, quod est paupertas. Secundum est, votum eius generationem consideratum. Tertium est, quod hoc votum sit simplex. De singulis ergo probandum est, per se conferre ad sanctitatem talis actus, nullam uero rationem mali secum afferre. Et primo quidem de materia ipsa, quod mala non sit, et idem est, quia contra nullum est preceptum: sicut enim nulla est lex naturalis, vel positua prohibens homini possessionem diuitiarum, ita multominus est lex, quæ diuitias habere, vel procurare præcipiat; vbi enim reperiri poterit talis lex, aut quo discursu rationis colligi? Dices, eo precepto naturali, quo præcipitur homini vitæ propriæ conseruatio, & decens, ac honesta corporis cura, quoad victum, vestitum, & habitationem, consequenter præcipi homini, vt hæc saltem possideat, quæ ad huiusmodi vsum necessaria sunt: nam & Paulus etiam dicebat 1. ad Timoth. 6. *Habentes alimenta, & quibus regamur, his contenti sumus:* indicans saltem his non posse hominem renuntiare. Sed non potest homo semper temporibus necessariis habere hæc omnia parata, nisi habeat bona, vnde huiusmodi fructus percipiat: ergo videtur in illo precepto naturali includi obligationem habendi, vel non abiiciendi illa bona, quæ ad hunc vsum sufficient: ergo absoluta, & integra paupertas non est obiectum, quod cum honestate, & laude amari, vel promitti possit. Hoc vero argumentum contra illam maximam paupertatem procedit, quæ ad mendicandum cogit hominem, & ideo illius plenam solutionem trademus inferius agentes de paupertate religiosorum mendicantium. Nunc ergo breuiter respondetur, negando minorem. Nam in primis si quis in ea communitate viuat, cuius com-

Errores aliter affirmantur.

Assertio tres partes includens.